

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Oratio De Utilitate Studii Philologici Seu Antiquitatis Ad  
Juventutis Institutionem Die XV. Ant. Cal. Novbr. Ad  
Inaugurandum Gymnasium Oldenburgense Dicto Recitata**

**König, Georg Ludwig**

**Oldenburgi, MDCCXCII**

**VD18 13042866**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18717**

O R A T I O

DE.

UTILITATE STUDII PHILOGICI  
SEU ANTIQUITATIS  
AD JUVENTUTIS INSTITUTIONEM

DIE XV. ANT. CAL. NOVBR.

AD INAUGURANDUM

GYMNASIUM OLDENBURGENSE

D I C T O

RECITATA

A

GEORG. LUDOV. KOENIG

GYMNAS. COLLABOR.

---

OLDENBURGI  
TYPIS G. STALLINGII.  
MDCCXCII.

BIBLIOTHECA  
OLDENBURGENSIS



---

L. L. B. B. S.

Quum ad oratiunculam hanc conscribendam me accingebam, nihil minus mihi in mentem venire potuit, quam eam aliquando publici iuris esse faciendam; sed id modo egi, ut auditoribus, quorum indulgentia iam mihi aliunde perspecta erat, non omnino displicerem; sperabam enim, fore, ut rerum exilitatem & infantiam latinitatis aequi bonique consulerent, omniaque non ad aurificis stateram, sed ad vulgarem trutinam revocarent. Quae quidem spes me haudquaquam fefellit. Verum contigit, quod ego in scribenda hac oratione minime providere poteram. Morem nimirum & vulgarem, quae in orationibus huiuscemodi, ut aiunt, obtinet, consuetudinem viri perillustres, fautores mei, in aeternum colendi & observandi, secuti, mecum egerunt, ut hanc schedulam in lucem edere non

dubitarem; quorum auctoritati, quamquam multae res aliud suaderent, non obtemperare nefas duxi. Vellem equidem, cui orationi recitatae plausum auditores non plane negabant, eandem etiam legentibus me approbare posse; verum enim vero hanc spem vix ac ne vix quidem fovere audeo, nam & temporis angustiae prohibent, quominus eam accuratiori lima prosequi possim, & desultoria opera ipsa, quam aliis distentis curis ei subcisis tantum horis impendere poteram, rerum expositionem ipsam viris doctis haud sane commendabit. Bene itaque de me actum putabo, si, cum laudem apud lectores me inventurum esse prope desperem, in aequitate eorum & indulgentia perfugium mihi paratum esse comperero. Caeterum jussi permittamus vela ventis, & oram solventibus bene precemur. Scribebam Oldenburgi die V. ant. Cal. Nov. MDCCXCII.

Princeps

---

*Princeps serenissime!*

*Viri perillustres, generosissimi ac doctissimi!*

*Auditores suo quisque loco observandi &*

*colendi! Conjunctissimi collegae! Juvenes*

*humanissimi!*

Arduum sane & plenum difficultatis negotium in verbis publice faciendis mihi videor suscepisse, quod, nisi a muneri mei ratione injunctum esset, recusassem, quod non sustinerem, nisi fretus indulgentia vestra. Habet enim Virorum tot illustrium, omnique doctrina politissimorum confessus, decoratus ipsa Ducis celsissimi præsentia, quo conatus vel exercitissimi copiosissimique oratoris nisi reprimere, retardare saltem possit; quandoquidem corona,

qua cinctus est orator, facultatis eius iudex sedet, a cuius severitate vel lenitate omnis existimatio dicentis plerumque pendere solet. Haud levi igitur in discrimine versari videntur ii, qui nimia virium suarum fiducia, cum tutius in umbraculis suis delituissent, in ipsa acie non provocati vagantur; leviori autem is, quem temporis ratio, non ostentandæ doctrinæ cupido, suggestum ascendere cogit; is, qui id molitur, ad quod eum animi sensus gratissimi, non inanes facundiae laudes impellunt; is denique, qui imbecillitatis suæ probe memor, dum vel minimam arrogantiae speciem vitare studet, necessitati obtemperat, & vos, Auditores! enixe rogat, ut se benevole audiatis.

Ex Musarum sede profectus sequebar, quo me fata trahebant, a quibus hospes & peregrinus in hanc urbem, in qua nunc sedem omnium rerum & fortunarum mearum collocavi, sum delatus. Sine opibus, sine fautoribus & prope sine spe reliqui patriam antiquam, nescio quod consilium secutus; & hoc loco providentiam summi numinis non satis admirari possum, quæ fecit, ut ea, quæ sane expectationis verecundiam superare viderentur, mihi contingerent. Erat quidem in votis, & hanc summam mercedem omnium meorum laborum, omnis industriæ duxi, ut docentis provincia mihi aliquando deferretur, & propterea nihil, quodcunque ad eam recte administrandam pertineret, prætermisi, atque id egi, ut, etiamsi vota mea exitum minus invenissent, hoc munere saltem indignus non viderer. Qua autem fortuna usus sim, quæque acciderint nec opinanti, quid adinet dicere, cum neminem  
vestrum

vestrum prætereant. Carebam patria: nova inventa est; destitutus eram fautoribus: sunt, qui mihi faveant; laborabam in incertam spem: præmium laboris nactus sum. Quid igitur possum antiquius putare, cumulus tot tantisque beneficiis a Deo optimo maximo, cuius dispensatione omnes res ad salutem mortalium temperantur, quam gratissimum in eum animum publice profiteri; quid potius deinde, quam Principi nostro serenissimo, omnium artium elegantiorum patrono summo, cuius munificentia voti compos factus sum, gratias agere, sanctissimeque coram promittere, semper me tanti muneris memoriam, quantum quidem in me situm erit, quoad vita suppetet, servaturum! Etiam vobis, Viri perillustres, Proceres patriæ! si non parem vestris de me meritis, pro vestro tamen studio meritam debitamque gratiam refero. Vestro enim iudicio, quo me ornastis, munificentiaque principis commendatum voluistis, hanc provinciam, in cuius administratione tantopere adquiesco, debeo; eidem rursus, quod de me tulistis honorificentissimum, iudicio, ut cura, industria & diligentia respondeam in iis negotiis, quæ muneris mihi delati ratio postulat, obeundis, omnibus viribus adnitar, operamque dabo, ut res huius gymnasii pro virium mearum ratione ac modulo provehatur, & iuventus, lætissima civitatis spes, quam uberrimos fructus inde percipiat. Hac ratione solum Tibi, Princeps serenissime! Vobisque, Viri perillustres! quorum auctoritas apud principem tantum valuit, atque patriæ, in cuius usum omnis disciplina iuventutis comparata est, gratum me præbere possum; quippe quia salus & diuturnitas reipublicæ,



quam non solum is, penes quem summa est imperii, verum etiam omnes boni viri sectari debent, bene & recte descripta juventutis institutione maxime nititur; & hanc qui pro viribus suscipit, diligenter & cum fide tuetur, non potest fieri, quin debitum, quo Principis & omnium bonorum beneficiis obstrictus tenetur, iisdem quodammodo solvat.

Ut omnis institutio in genere, sic maxime eorum ad rempublicam pertinere videtur, qui doctrinæ copia insignes, morum probitate spectati, ingenii acumine præditi civitatis munia olim obire & administrare cupiant. Quorum erudiendorum provincia, Principe nostro jubente, Viris summi in sacris collegii auctoribus, cum mihi demandata sit: faciendum putavi nonnulla in præsentia proponere, quæ & muneri mihi tradito accommodata essent, & iuventuti industriæ, cui in primis a me interveniendum est, non inutilia. Nimirum, nec mei ingenii est, nec artis, nec doctrinæ, vos, Auditores doctissimi! oratione tenere; venia idcirco a vobis mihi est impetranda, ut ad istos iuvenes, quos ipsi tanto favore & cura amplexi estis, me convertere liceat; hoc modo & vos propensiores eritis ad indulgendum, si quid forte indignum dignitate & amplitudine hujus confessus mihi exciderit, & ego tanto liberiore animo atque alacriore verba faciam coram iuventutis studio condonaturis, quæcunque trita nimis & in medio posita adtulero.

Sæpe

Sæpe miratus sum, quid sit, quod tantopere philologæ studium, a viris in sua quoque arte & disciplina doctis tam parvi ducatur, dignumque, in quo puerile ingenium se exerceat, adultis vero ingeniis minime accommodatum. Cujus contemptus causa mihi videtur in illa angustia, qua studium hoc (quod, quam late pateat, vix dici potest) turpi quadam ignorantia circumscriptum putabant, sita esse. Audiamus, quid strepant isti, si Diis placet, docti homines. Philologiam aiunt cognitione latini & græci sermonis contineri, sermones autem verbis consistare, quorum vim & potestatem quisque, memoriæ felicitate gaudens, ex quolibet lexico haurire possit; acumen & ingenium neque in hanc rem requiri, neque magnum inde fructum capere posse; miserum esse & ingratum laborem, circa syllabas ac verba hæerere, consuetudinem eorum rimari, dictiones distortas undique expiscari, & varie eas rursus componere & conglutinare. Operæ pretium mihi minime videtur in certamen descendere cum istis antiquitatis osoribus, quorum ineptiæ unicuique æquo rerum æstimatori in oculos incurrunt; quin finiamus & constituamus regiones, quibus terminatum hoc studium necessario esse debeat, & inde viam ad reliqua muniamus.

Antiquitas romana & græca complectitur ea omnia, quæ Romanorum & Græcorum propria erant, ex ingeniorum monumentis vel artis, quæ ætatem tulerunt, haurienda; religiones itaque, quas colebant; statum politicum civilem & domesticum, in quo versabantur; artes &

disciplinas, quas invenerunt, aluerunt passimque perfecerunt; artificia, quæ sollertia eorum excogitavit, & opera ex ruinis urbium villarumque servata; ingenia ipsa longo rerum usu & experientia nutrita & perpolita, quæ, cum in scriptis, quibus tempus edax rerum pepercit, spirent & vigeant, ex iis ipsis tantum sunt cognoscenda. Ad hæc requiritur accurata cognitio utriusque linguæ, non verborum solum & phrasium, ut quidam illitterati putant, copia, sed intima familiaritas cum ratione sentiendi & cogitandi Romanorum & Græcorum, sensaque animi ita, ut ab iisdem semper factum esse videmus, exprimendi. Accedunt nonnullæ harum rerum disciplinae veluti adiutrices, grammatices & critices studium atque historia utriusque linguæ. Videtis, Juvenes amantissimi! me fines huius studii non longius, quam res ipsa necessario postulat, protulisse; quot & quanta autem sint, quæ iis concludantur, sponte patet, nec orationem desiderat. Quotus enim eorum, qui post renatas in Europa litteras, doctrinæ & ingenii laude insignes, *Stephanos, Salmasium, Gronovios, Graevios, Burmannos, Ernestum, Gesnerum, Heynium* dico, clara reipublicæ litterariæ nomina, huic studio vacantes, omnia, quibus illud continetur, animo & mente complexus sit? Amplitudini eius, qua omnes reliquas disciplinas facile superat, quippe quarum stamina in eo ipso latent, accedit quoque, quod maxime institutioni juvenilis ætatis accommodatum sit, ideoque omnis eruditionis auspicia ab eo iure meritoque capiantur. Cum enim institutionis vis in civibus bonis & civitati utilibus reddendis omnis exferatur, boni autem & civitati utiles cives

ne

ne cogitari quidem possint, nisi voluntate emendata, ingenioque polito, & ad hanc rem mirum sit, quantum valeat antiquitatis studium: sequitur, omnem eo institutionem posse contineri. Quod ut copiosius & accuratius ostenderem, longiori sane temporis spatio, quam quod mihi in præsentia concessum est, opus foret; ex hac immensa igitur rerum silva, quæ antiquitatis dotes cogitanti sponte se offert, quamque arctiores oratiunculæ fines minime omnem capiunt, loca nonnulla in præsentia attingam, quibus, quos fructus antiquitatis studium habeat ad ingenium acuendum, moresque emendandos, ad sensum pulchri excitandum & perficiendum, viamque ad reliquas artes & disciplinas præmuniendam, breviter disputari possit.

Vetus est cantilena, Juvenes humanissimi! totiesque fere repetita, quoties accidit, ut homines inepti & ab omni elegancia remoti iudicium de veterum monumentis ferre non erubuerint: politioem hujus sæculi humanitatem, iis scriptis, quatenus ad ingenium acuendum pertineant, æquo animo carere posse; nam, in hanc enim sententiam disputant, innumerabilia esse, quæ in veterum notitiam non venerint, recentiorum studio & sollertia inventa & excogitata; sæpissime ita in fraudem ductos esse antiquos auctores, ut de rebus ineptissime statuerint; quæcunque denique bona habeant, ea in hanc, qua vivimus, ætatem cadere neutiquam posse, adeoque omni fere rerum cognitione sublata, ex ingenti quodam & immenso antiquitatis campo, in parvum nos & exiguum compellunt gyrum. Non meum est in præsentia quærere, quibus  
rebus

rebus adducti homines tam perverse de studio nostro, cuius causam nunc agere in animo est, iudicaverint, & id omnino silentio præterire satius esset, nisi timerem, ne quis me partium studii insimularet. Supercilium veterum quorundam philologorum, quo omnia, quæ antiquitatem non redolerent, contemserint, injuriam, qua vernaculam neglexerint, rationem & modum, quo in scholarum umbraculis antiquitatem tractaverint, multos & non ineptos homines ab antiquitatis studio adeo fortasse deterruisse credi par est, ut vel nomen ipsius terrorem quasi illis incuteret. Ex hoc fonte redundabant contentiones acerrimæ, quibus eruditi recentiores, cum magno reipublicæ litterariæ detrimento, partim antiquitati omnia tribuentes, partim recentiorum studiis omnia vindicantes, non aliter inter se ac pro aris & focis pugnant. Nostræ tandem ætati contigit opera virorum elegantissimorum, ut omnia, quæ in nos & studium nostrum torquere possent adversarii, tela obtunderentur & frangerentur. Non enim vanæ eruditionis ostentationi operam & studium nostrum dicamus, sed rebus gravissimis, & ad penitiorum humanæ mentis notitiam pertinentibus; non iis ita immoramur, ut viventium quasi commercio & societate repudiata, in mortuorum tantummodo monumentis & sepulcris habitemus, sed tamquam mercatores bonarum artium, emporiis veterum frequentatis, omnem doctrinæ copiam, quam antiquitas collegerat, paternis sedibus illatam in nostrum usum convertimus; non præ nimio in veteres studio occoecati nova omnia fastidimus & respuimus, sed læti agnoscentes recentioris ævi in studiis progressus, tantum abest,

abest, ut eos retardemus, ut potius, si quid antiquitas habet præsidii, ad eos ornandos & promovendos transferamus; non campum iurgii & contentionis plenum colentes, via veterum quorundam philologorum pervulgata in aliter statuentes acriter invehimus, difficilemque inde & morosum in omnes homines induimus animum, sed in Musarum contubernio viventes, sensu humanitatis exulto, ad celebrandos hominum coetus & amores, omni vitæ agrestis rusticitate deterfa, aptiores nos reddimus; sic antiquitati non propter ipsum antiquitatis nomen pretium statuimus, sed propter utilitates, quibus vita nostra inde adornari potest, magni eam æstimamus. Quot enim & quanta sunt ornamenta, quibus res litteraria inde aucta est? Quantum inde semper profecerunt homines ad ingenia acuenda & illustranda, ad simplicitatem & venustatem in dicendo, ad copiam & ornatum orationis, ad omnis pulchri & elegantiae sensum? Hoc quisque sentiet, qui modo progressus, quos politior humanitas inter Germanos per proximos quinquaginta annos fecerit, paullo diligentius attenderit; hoc agnoscet, qui, quantum & qua ratione litteræ & artes sub Ludovico XIV. rege Gallorum floruerint, animo & mente perpenderit. Alienum est a nostro instituto in harum rerum causas altius inquirere; pertexamus potius, quam orsi sumus, telam, & ad fructus, quos iuvenilis ætas cum ad ingenium excolendum, tum ad animi sensa commode cum aliis communicanda ex hoc studio colligere possit, nos convertamus.

Omnes



Omnes animi virtutes, in primis autem vires ingenii, quarum iudicium est de ratione & indole cuiusque rei, usu & exercitatione aluntur & confirmantur. Facultas sentiendi & cogitandi, quæ in vero investigando unice occupatur, numquam quidem materia, in qua se exerceat, caret; at magni refert ad ingenii incrementum, quæ & qualis sit res, quam sibi proposuerit, vel quæ extrinsecus oblata sit, quam digna hominis cognitione, quam apta & accommodata ætati & conditioni uniuscuiusque. Quid autem, quocunque circumspexeris, invenias usibus iuvenum, eorum inquam, qui litterarum amore flagrant, studio antiquitatis aptius atque accommodatius, ut in quo non solum ingenia ipsorum maximo cum fructu exerceantur, verum etiam via ipsis ad ulteriora & graviora progrediendi optime muniatur. Cum enim origines & incunabula omnium fere artium, omnium disciplinarum in veterum monumentis deprehendamus, habemus quasi seriem rerum gestarum humanæ mentis, cognoscimus vias, quibus usi sunt in vero inveniando, ambages & amfractus, ex quibus alta caligine circumsepti expedire se non poterant. Perspicimus denique causas errorum & rationem, qua se ab his experientia duce seu felicitate aliqua ingenii liberaverint; videmus humanum genus in cunis veluti vagiens sensim paullatimque adolescere, novas in dies vires acquirere, & naturæ vestigia premendo tandem ad virilem ætatem propius accedere. O fontem uberrimum rerum utilissimarum, ex quo unusquisque haurire potest & debet, cui est cura veri, qui semetipsum noscere cupit, & ingenii humani vires, quantis angustiis sint circumseptæ, quidque

quidque usum earum impediatur. Hinc docemur arrogantiam nostram coercere & fastum; hinc cogimur iudicium sæpe suspendere; hinc excitamur, ne umquam in veri investigatione subsistamus; hinc admonemur, quam proclivis ad errorem fit via, quam lubrica & spinosa ad veritatem; quantam curam & diligentiam adhibere debeamus, ne turpiter lapsi aliis temeritatis exemplum præbeamus. Frequens veterum tractatio non solum immensa rerum cognitione, etiam earum, quæ in vulgaris vitæ consuetudine versantur, nos locupletat; verum etiam rationem & viam docet, qua quis perspicue rem tradere, accurate exponere & dicendi suavitate ornare possit. Cum enim in hoc studio, quod, si verum volumus loqui, summum est, veteres omnem operam studiumque locaverint, quid est quod miremur, si in hoc genere tanta exempla, quæ imitemur, reliquerint. Fingite hominem, omnis ævi memoriam animo complectentem, omnium rerum cognitione imbutum, maxima ingenii vi & acumine ad scrutandas & indagandas res penitus latentes, admirabili sollertia ad inveniendas & excogitandas; sed ab arte scribendi dicendique adeo remotum, ut, quæ legerit vel audierit, non possit tradere; quæ indagando perspexerit & cognoverit, non possit explicare; quæ ingenii sollertia invenerit & excogitaverit, non possit accurate probare; quantæ tandem utilitati putemus, non dicam eruditorum coetui, in quo excellere cupit, sed omnino hominibus, quibuscumque vivit, & amicis, quibus utitur, futurum. Quam late igitur pateat scribendi dicendique facultas (sine qua ingenii acumen nihil fere utilitatis habet, quippe cum nec ipse rerum

notiones

notiones recte comprehendere, nec cum aliis animi sensa sine earum involucris communicare possis) vel ex hoc mihi videtur constare, eamque ipsam nullis æque ac vetustatis exemplis parare, augere & amplificare possumus.

Quantum profecisse iam nos, iudicio multa exercitatione subacto, ad voluntatem emendandam putamus, quæ unice illius auctoritatem, nisi perturbationibus impedita, & rerum in sensus incurrentium lenociniis pellecta, sequitur. Circumspectis igitur iam in re quaque iudicanda factis & ad veritatem investigandam excitatis, nihil magis opus est, quam ut caveamus, ne concitationibus animi vehementioribus abrepti ad alia omnia quam ad veritatem deferamur. Quo autem magis animum quietum præstare possumus ab omni motu graviore, quam iis occupationibus, quæ voluptate aliqua placida nos demulcent; & quid homini ingenuo; exemplorum contagio & peste nondum correpto iucundius esse potest, quam studium antiquitatis, elegantiae omnis & venustatis plenum; quo leniores tantum & suaviores animi sensus excitantur & foventur; quo veluti audita Amphionis lyra omnis feritas mitigatur, omnis immanitas mollescit. Ut autem luculentius pateat, quantum opere studium nostrum in fingendis & emendandis moribus possit efficere: agite, recordemur, unde mores originem plerumque trahere soleant. Morum rationem magnam partem sitam esse in ipsa hominis natura & indole, quæ quidem ægre penitus mutari, corrigi tamen quodammodo possit, nemo est, quin ignoret. Magna est porro imitationis vis, qua non solum infantes, quamquam hi  
maxime,

maxime, verum etiam omnis ætas, quæ, ut cum Apuleio loquar, non animo sed auribus cogitare solet, mirum in modum ducuntur. Multum etiam in sapientiæ præceptis esse, humanitatis causa quisque concedet. Quo fit itaque, ut morum disciplina ad exemplorum vim & præcepta sapientiæ maxime referatur. Quandoquidem juvenilis ætas in primis sensibus indulget, & exteriore rerum specie magis, quam rationis impulsu movetur: philosophia vel disertissima furdus plerumque canere solet. Quapropter illud divinum Terentianum semper admiratus sum, quo iste, morum suæ ætatis delineator accuratissimus, præcepit: Inspicere tamquam in speculum in vitas omnium, & inde exemplum sumere sibi. At quot & quanta exempla, quot & quanta simulacra virtutis, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, antiquitas nobis proponit, quæ eo majorem auctoritatem habent & vim ad pueriles animos movendos & inflammandos, quo magis ipsius virtutis amore veteres, nullo emolumento, nulla mercede pelli, immo res suas omnes, domum, patriam, vitam denique ipsam negligentes, ei se totos tradiderunt. Tanta animi magnitudo, quæ omnia, in fortuna posita, infra se putabat, semper laudem & honestatem ante oculos habebat, iis temporibus locum maxime poterat habere, quibus quisque sciebat suam dignitatem cum dignitate reipublicæ arcte conjunctam, suo consilio eandem adiutam, suis moribus temperatam, suis rebus gestis servatam; difficultates enim & rei ipsius gravitas & magnitudo, quibuscum tunc erat conflictandum, quamquam deprimere animos humiles & natura infirmos solent, generosioribus quasi calcaria

B

subdunt,

subdunt, viresque eorum magis intendunt. Vultis specimen omnium virtutum? Socratem videte; vultis iustitiæ? Aristidem; vultis prudentiæ? Themistoclem & Periclem; vultis continentiæ? Scipionem Africanum; vultis integritatis? Curium & Fabricium; vultis caritatis in patriam? Decios. Ut exemplis abundat antiquitas, quibus ad omnem honestatem & virtutem informari possumus; sic etiam præceptis sapientiæ, quorum auctoritas vetustate ipsa veluti sancitur. Ut iis, quos longa ætas & usus multus multa docuit, libenter morem gerimus, verecundia quadam in senilem ætatem adducti, quippe qua nos longe experientia iudicioque superari persuasum habemus: sic habet etiam omnis antiquitas, nescio quid, quo nos sacro quodam horrore perfundat; prædictiones ejus oraculorum divinitatem induunt, præcepta coelitus missorum sanctitatem. O quam sæpissime in Homero legendo hæsi, obstupui, Nestoris, senis illius summe venerabilis voce quasi religione tactus; quam cupide id arripui, quod Achillem iracundum, quod superbum Agamemnonem docuit, monuit; quam avidè imbibi præcepta morum ab ipso data; quantopere consilium meum ad percipiendam colendamque virtutem inde confirmatum est? Quotiescunque Xenophontem vel Platonem oculis perlustravi, stetit mihi ante oculos Socratis imago, de virtutis præstantia differentis; vidi eum sophistas severe ludentem, cives humanissime docentem, amicos suos errantes incredibili caritate in rectam viam ducentem; statimque sic mecum: Quid? si iste sapiens oculos in te converteret, quo vultu intuereris istum tanta integritate & sanctitate virum? quid responderes quærenti:

quærenti: An tu doctrina, divinitus tibi concessa, auctus, amicus amplecteris homines, quos natura tecum coniunctos esse iussit? eorumque rationibus cupidius indulges, quibus æque ac tuis consultum voluit? Nimis longus essem, si omnia, quæ menti meæ nunc obversantur, oratione persequi vellem; sufficiat iam ostendisse, abundare antiquitatem exemplis, quibus animus noster possit augeri, multisque præceptis, quibus possit emendari, & hæc sunt omnino duo genera, quibus indoles & natura hominis prava corrigi, bona confirmari possit.

Inter reliquas dotes, quibus antiquitatis studium commendatur, haud infimum locum occupat ea, qua mirificam nobis delectationem adfert, aptioresque reddit ad quascunque voluptates animo & mente percipiendas. Quis tandem peractis vitæ quotidianæ negotiis, cum muneri, quod vel ratio imposuerit, vel fors aliqua obiecerit, satisfactum est, pro animi natura, quæ numquam omnino quiescit, sed semper in motu est, non aliquid requirit, quod agat, non varia petit deverticula, in quibus se a nimia laborum contentione recreet, vel suavitatem amicorum, vel loci alicujus amoenitatem, vel litterarum venustatem, quibus curas & ægritudinem omnem abigat, exhilaretur & voluptatem capiat dulcissimam. Sed non ubique amicorum coetus ad manum est, non ubique loci alicuius natura & situs nos allicit: litteræ autem sunt omnium ætatum, omnium temporum, omnium locorum. Adolescentiam, ut verbis Ciceronis utar, agunt; senectutem oblectant; secundas res ornant; adversis perfugium &



folatium præbent; delectant domi; non impediunt foris; pernoctant nobiscum; peregrinantur, rusticantur. Quærite, Juvenes amantissimi! ex istis Viris perillustribus, quos coram videtis, qui in negotiis reipublicæ gravioribus iam consenuerunt, quorum merita in vos & gymnasium nostrum tam præclara exstant, quo tandem otio negotioso animum oblectent, viresque colligant ad ferendos novos & de integro labores? Iam ipsa cura, qua res nostras amplecti non dedignati sunt, vobis quærentibus satisfaciet, quantum antiquitatis studio tribuant, quantopere litterarum amore teneantur.

Inter præcipuos fructus, quos capimus ex lectione veterum monumentorum, etiam referri debet, quod sensus omnis pulchri & venusti mirum in modum inde acuatur & perficiatur. Ad hunc percipiendum & constituendum veteres, Græci præsertim, coeli temperie, regionum amoenitate, corporum forma & figura & cultu Deorum ipso ducti, diuturna observatione naturæ eorum, quæ suaviori aliquo sensu hominum animos perfundant, rem eo tandem deduxerunt, ut normam quasi & regulam, ab omni posteritate deinde comprobata, pulchritudinis & venustatis constituerent. Quæ, quantam habeat vim, vel inde perspici potest, quod, quotiescunque ab aliqua ætate inde recessum sit, toties ejus neglectum ingravescens barbaries vindicaverit; & hæc litterarum damna sine morum & iudicii corruptela nullius ævi memoria experta est. Redeant nobis in mentem mediæ ævi horrores & immanitates, scelera & libidines, quibus ætas tunc polluta & contaminata erat;

erat; quantopere iacerent omnes artes & scientiæ; quam grave vulnus ipsi sanctissimæ religioni inflictum sit; in quantas partes, infano furore invicem pugnantes, respublica christiana dilacerata & discerpta fuerit; omnem foedam huius temporis cladem negligentæ veterum litterarum magnam partem assignare potestis. Revocatæ e contrario ex longinqua oblivione litteræ, & ex situ & squalore, quem putida monachorum stupiditate traxerant, in pristinum splendorem & dignitatem restitutæ solem & diem, dispulsis ignorantæ nebulis reduxere, pulchrique sensu denuo excitato, divina religio, fugo omni absterfo, clara iterum luce refulsit, humanitas fiebat humanior & cultior, voluptates omnes & deliciæ, politioem, agreftiori deposita, induebant speciem, quarum purior & honestior ratio, quo magis animo solum percipiatur, eo minorem corpori cladem inferre solet, eoque magis in medio posita ad omnium haustus decurrit, sæpiusque degustata sensum nunquam obtundit, nemini tædium & fatietatem creat, novaque semper & recenti suavitate omnes delectat.

Quartus locus, quem posui, proprior antiquitati est quam reliqui priores; ea enim sola, quandoquidem omnium fere artium ac disciplinarum incunabula & progressus complectitur, ad easdem viam optime munire potest. Quantum autem intersit ad disciplinæ alicuius familiaritatem, historiam eius noscere, cognitum habere, quid iam præstitum in ea sit, quid adhuc posterorum sollertæ relictum? quam tenui e principio ad magnam sensim rerum molem excreverit? quæ & qualia fuerint disciplinarum per



omnes ætates incrementa? quanta hominum ingenia in iis promovendis insudarint? quo quisque successu usus sit? quid causæ fuerit, quominus ad hunc, quem artes & disciplinæ nunc passim attigerunt, perfectionis fastigium evectæ sint? quantum, inquam, intersit, quisque experietur, quem tædebit iisdem semper vestigiis, quæ patrum memoria iam trita fuere, insistere; quem pigebit in maiorum formulas, a mente quadam falsis opinionibus præoccupata perperam sancitas, temere iurare; cuius animus generosior vulgaria spernens in finibus disciplinæ alicujus propagandis gratæ posteritati nomen suum de meliori commendare volet. Quid? quod vel ad vulgarem disciplinarum notitiam, modo ne incognita pro cognitis sæpe habere velis, rerumque rationes, altius quandoque ex ipsis disciplinarum incunabulis repetendas, negligere, vehementer pertinet, originem earum & incrementa varia, fata & vicissitudines cognita habere. Quis enim sacrarum litterarum interpretem profiteri audet, nisi moribus institutis & religionibus veterum perspectis? Quis iureconsultum, nisi accurata cognitione iuris romani? Quis philosophum, veterum scholarum ignarus? Confitendum quidem, in multis nos plus vidisse, quam veteres, sed vicissim palmam antiquitati in multis demus, præcipue in iis, quæ in arte plastica, statuaria, architectonica, sculptoria nonnullisque aliis posita sunt, in quibus veterum exempla multo cum fructu exprimimus quidem, verum a simplicitate, pulchritudine & venustate eorum multum adhuc aberramus. Quid? quod in multis philosophiæ capitibus, præsertim metaphysices, difficile dictu est, quid a recentioribus adiectum

adiectum sit. Nonne omnia pæne exhausserunt veteres, quæ de animi natura, quid aut ubi aut unde sit, dici vel fingi vel somniari possint? Quid? novis argumentis existentia Dei & vita post mortem futura, aliis, quam quæ Socrates, & qui eum secuti sunt, occupaverunt, substructa est? At qua de re tanto ardore tanta animorum contentione umquam quæsitum, quam de his duobus locis, in quibus vel tuendis vel oppugnandis omnium fere philosophorum, a Socrate usque ad senem illum Regiomontanum, fines philosophiæ melioribus auspiciis nunc demum profertentem, studia occupata fuerunt? Quam multa tribuit Fridericus, quem Unicum appellamus, arti militari veterum! quoties in proeliis, ex quibus victor decesserat, veterum inventa sua fecit! Quid dicam de dicendi & scribendi arte, in qua, qui inter recentiores immortalitatem adepti sunt, veterum vestigiis se inhæsisse, candida mente profitentur! Quid de poëseos, quantum in ea profecimus accurata veterum lectione! Quam multa adhuc reperimus in Aristotelis historia animalium, quæ ignorantia & socordia nostra iamdudum pro nugis vendiderat, diligenti inquisitione peregrinantium denuo probata! Quot, quæ paullo obscuriora nemo antea illustraverat, omnes neglexerant, explicata a felicioribus ingeniis cum fructu in lucem revocata sunt! de quam multis, quæ posterorum industriæ & sagacitati nunc servare integra debemus, idem sperare possumus! Neminem enim, qui statum litterarum, ut nunc est, penitus paullo inspexerit, fugere debet, quanta diligentia, ingenio & acumini recentiorum quorundam virorum in antiquitatis studio debeamus, ex quibus *Heynium V. C.*,

præceptorem meum, gratissima memoria semper prosequendum, potissimum nomino, qui, ut Socrates philosophiam e coelo devocavit, & in urbibus collocavit & in domos etiam introduxit, sic philologiam ab inani curiositate & doctrinæ ostentatione ad animum locupletandum mentemque emendandam traduxit; qui unus docuit, quomodo & quem in finem antiquitatis studia essent tractanda. Quid, ut hoc utar, accurata ejus de mythis disputatio, in quibus explicandis omnes fere priores, non dici potest quantum ineptierint, utilitatis habuit ad antiqui sermonis genium cognoscendum, adeoque ad sacras litteras recte interpretandas! Infinita foret oratio, si omnium virorum, quorum felicem proventum nostræ ætati gratulamur, merita in nostrum studium recensere vellem, alioquin unicuique antiquitatis cultori satis nota; quis enim nescit *Valkenæerium*, qualem & quantum virum! quis tam averfus a Musis, ut *Rhunkenii* nominis hoc loco non meminerit! quem *Brunkii* acumen lateat, cui *Schützi* & *Wolfi* memoria non occurrat! Ex his, quæ a me hætenus disputata sunt, vobis, Juvenes florentissimi! apparebit, studium & operam in nulla re melius & maiori cum fructu, quam in assidua & diligenti veterum lectione posse collocari; nullum tempus minus frustra perdi, quam quod in hanc rem insumentum sit, quandoquidem habet, quo nos mira voluptate teneat, mores poliat & emendet, ingenium nostrum incredibili rerum varietate locupletet, & ad reliquas artes & disciplinas aptiores & magis instructos reddat.

Vix

Vix attinere puto, eos, qui in castris Musarum iam diu meruerunt, admonere, ut imperii, quod eadem obtinent, fines tueantur & proferant, dignitatemque eius custodiant; satis enim iucunditatis illud militandi genus habet, & satis ampla præmia fortibus & strenue pugnantibus propofita sunt. At vos, Tirones! quorum adhuc in armorum tractatione omnis opera fita est, rogo & obtestor, ne animo deficiatis, ne studium vestrum & impetus in limine operis infringatur & retardetur. Equidem inficias nullus eo, multas esse difficultates, at superabiles; multum esse tædii, at cum delectatione mistum; multum sudoris & laboris, at iucunditate aliqua mitigatum; confirmate vos, durate, ex seminibus, quæ nunc spargitis, efflorescet lætissima aliquando seges, & messe diuturna fruemini. Videte, ut subsellia nostra non corporibus solum, sed & animis frequentetis, ad arripiendum & memoriæ mandandum, quod a præceptoribus fuerit traditum, qui omnem curam & cogitationem in eo defixerunt, ut vestro studio satisfacerent. Habetis a Principis vestri munificentia & liberalitate præsidia omnia, quibus instructi majores in litteris progressus facere possitis. O per ego vos, si qua est memoria tantorum beneficiorum; si qua est pietas in patriam & parentes, quibus omnia debetis; si qua est cura vestri, a natura vobis iniuncta, rogo & obtestor, ne immemores sitis munificentiae Principis serenissimi; ne spem frustremini, quam de vobismetipsis patriæ & parentibus concitastis; ne vobis ipsi desitis, cum omnes opportunitates adsint, quæ ad studia recte colenda desiderentur. Vultis aliquando reipublicæ utiles esse, in cuius civitatis



ius nati atque educati estis? parate nunc ea, quæ ad munia eius obeunda olim usui futura sint; vultis parentum, qui in eam spem vos susceperunt & aluerunt, senectuti gaudio atque oblectamento esse? omnibus viribus adnitimini, ut virtutis & doctrinæ gloriam, ab illis vobis quasi traditam, non modo tueamini, sed novis insuper incrementis augeatis; nolitis olim conscientiæ stimulis compungi ac dilacerari, rebus ex sententia minus succedentibus? ne dimittatis occasionem discendi, quam in manibus habetis; ne defertis munus, quod sponte suscepistis, & sic semper pari vestigio in utraque fortuna stabitis, sic æquabilitatem mentis & constantiam, quocunque loco res vestræ olim sint futuræ, servabitis & retinebitis, sic rebus adversis solamen, dignitatem secundis parabitis. Quid enim calamitate aliqua oppressi, aut adversa cum fortuna luctantis ægritudinem magis lenire potest, quam nullius sibi culpæ conscium esse; quid prosperas res magis ornare, quam suis ipsius meritis, non fortunæ libidini eas debere? Existimatote, omnis futuræ vitæ rationem in vestra manu nunc esse; ut sementem feceritis, ita metetis. Hoc ego vobis, non solum pro me, sed etiam pro iis, qui mecum una docentis provinciam obtinent, Viris doctissimis, coniunctissimisque collegis, spondeo, numquam nos vestris usibus defuturos; nihil nobis antiquius fore, quam patriæ vos & parentibus, a quibus in nostram fidem & disciplinam dati estis, quantum quidem in nobis situm erit, doctrina auctos, moribus emendatos, ingenio politos reddere; neminem umquam, nos negligentia reos acturum, quod crimen, ne in vos aliquando merito transferatur, omni diligentia cavete.

Ex

Ex hac mutua contentione, & præceptoribus hujus gymnasii & alumnis honestissima atque dignissima, si nos nostras partes, qua par est, fide & religione sustinuisse, vos vestras pro viribus esse tuitos, eventus declaraverit: non potest fieri, quin spes patriæ, quam de nostra diligentia & de vestro studio concepit, exitum, quem cupit, felicissimum sit fortitura.

Quod ut contingat, Auditores, suo quisque loco observandi & colendi! nam & vestra magni interesse debet, cum res agatur liberorum vestrorum, vota suscipiamus solennia, quibus ut animis linguisque faveatis, & me, verba vobis præiturum, pure sancteque sequamini, omni, qua debeo, observantia rogo.

Ad te, Deus, O. M. mente & animo nos pie convertimus; tuum numen, quo æternis omnia temperas imperiis, supplices odoramus. Benignitati tuæ, qua rebus humanis a mundi primordiis ad hunc usque diem consuluisti, omnia, quibus cum utilitate & voluptate fruimur, debemus. Fave semper beneficiis tuis, tantisque muneribus adde perpetuitatem. Tuæ præcipuæ tutelæ commendamus Principem nostrum, ejusque Vicarium Ducem, quem beneficiorum tuorum dispensatorem & arbitrum in his terris esse jussisti, & ut successu prosperrimo omnia, quæ ad conservandam rempublicam, ad felicitatem civium constituendam firmandamque incredibili cura ac diligentia suscepit, bees, precamur. Salutem & incolumitatem eius, cum reipublicæ salute & incolumitate arctissime conjunctam, diuturnam serva.

Tuere

Tuere domum Ducalem, principes iuventutis, spes duraturæ ad nepotes felicitatis; tuere Virum, tumum huius ducatus præfectum, eosque, qui Duci in consiliis sunt; eorum consilia ut saluti reipublicæ salutaria evadant, da o! qui es fons omnis sapientiæ & felicitatis. Rege consilio & prudentia consules, senatores reliquosque magistratus huius urbis, & omnibus de republica nostra consilia & opera bene merentibus digna meritis præmia imperti. Res nostri gymnasii imprimis tibi commendatæ sunt; labores docentium, in usum iuventutis susceptos, prospera, ipsamque redde docilem, & omnis veri, recti, & pulchri amantem. Cæterum omnia bona & salutaria, quorum causa precibus nostris in præsentia te adimus, & quæ imbecillitatem nostræ mentis prætereant, pro tua benignitate nobis concede; omnia mala autem & pestifera vel precantibus nobis nega. Fac denique ut vótorum, quorum religione nunc nos obstrinximus, olim damnemur.